

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Beatvs Rhenanvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](#)

BEATVS RHENANVS

Historicus.



Multum se Germana mihi historia, atq; Latina  
Debet; me Patriæ vindice claret honos.

M, D. XLVII. H v

BEATVS RHENANVS COG. BILD-  
dius, Selestadij, Alsatiae oppido na-  
tus, Anno M. CCCXXCV:

Sub Cratone Vdenhemio, & Hieron. Gebuuile-  
ro primò in patria eruditus:

Lutetiæ dehinc, & Basileæ sub clariss. doctorib.  
doctrinæ maturitatem adeptus:

Magni illius Erasmi summus amicus & familiaris:  
Priuilegio ciuilium vacationum in pa-  
triâ à Carolo V. Cæs. impetrato:

Priuatus sibi domi potius, quām alijs viuens vitam  
planè Philosophicam, absque ullo maleficio,  
vllaue iniuria:

Multis Græcis atque Latinis scriptoribus resti-  
tutis in integrum, atque recognitis.

Rerum præsertim Germaniarum indagator  
sagacissimus, adeoque omnis antiqui-  
tatis studiosissimus:

Qui & patriæ suæ ornamento, & exteris ad-  
mirationi fuit:

Sed & præter excellentem doctrinam, innocentiaæ,  
humanitatis, pudicitiæ, omnis denique offi-  
cij & probitatis laude commen-  
datissimus:

Gratus omnibus, nemini grauis:

Obiit Argentorati, ex thermis Martijs rediens,  
anno ætatis LXII, Selestadij in patriâ sepul-  
tus, anno Domini M. D. XLVII.

IN BEATVM RHENANVM

Historicum.

C: VRSINI VEHLLI.

O mihi post magnum, venerabile fidus, Erasmus:

Nunc quoq; vix illo, culte, Beate, minor.

Totanibilvobis Germania doctius ingens,

Forsan & haud aliquid doctius orbis habet.

IOAN. ATROCIANI.

Doctior, an melior, nostrum hand finire Beate:

In te nam certant hæc generosa simul.

Non te pro meritis possem laudare Beate:

Nam superat Musam candida vita meam.

Longius & tua deuincit doctrina canentem:

Et vincit vires, magne Beate, meas.

GEORGII FABRICII.

Quicquid habet nostro Germania tempore lucis:

Debetur studio, docte Beate tuo.

AEG. PERIANDRI.

Quum cupio laudes pleno cantare theatro,

Imbelli quamvis lege, Beate, tuas:

Succumbunt vires, & robora parua Thaliæ:

Filaq; Castalio tincta liquore cadunt.

At dicam, multum debet tibi lingua Pelasga:

Et multum Latij Musa diserta soli.

Nomine cum tanto dicetur Teuto beatus:

Quod tantum Musa lumen habere dedit.

IN BEATA MORTALITATE

IOANNIS SAPIDI.

Beatus Rhenanus loquitur.

Quod nunc illustrata suis Germania rebus.  
Nascitur: est nostri non leue Martis opus.  
Quod veterū pure auctōrū monumēt a loquuntur,  
Acceptum mihi & hoc, qui legit illa, ferat.  
Quod varijs inscripta notis, & picta figuris  
Patria culta mea est: auctor & ipse fui.  
Inde caduca mei pars sit licet obruta terrā:  
Parsq; mei, cœlum, non moritura, colat:  
Non humana tamen totus commercia linquo:  
Nam partem partes hæ peperere dux.  
Illa viros doctos linquer: linquetur ab ipsis,  
Quum Sol occiduo tollet ab orbe caput.  
Musa mei Sapidi me, consuetudinis ergo  
Antiquæ, fecit post mea fata loqui:  
Iusit & incidi saxo mea verba perenni;  
Vt sint officij pignus & arrasui.